

gatur. Meminerint verò, in omnibus Artibus Veritatis centrum quærendum else, & nihil temerè pronunciandum, nè falso sum de his tulisse Testimonium redarguantur.

Quæ postmodum in eodem Capite Quarto subiungit, de discrimine loci visi & veri Cometæ, quod 4 grad. quò ad Longitudinem lato modo efficit, & de differentia Declinationis veræ & visæ, p. 4. min. 33; hæc quidem quodammodo ita se habarent, si Parallaxes Altitudinis priùs præsuppositæ non prorsus erroneæ inuenirentur, velut non solum ex antedictis, sed etiam omnibus, quæ Capite Sexto aliter à nobis ostensa sunt, & per aliorum selectiores Observations confirmata, satis manifestè demonstratum est. Idcirco destructo fundamento principali, hæc cætera corollaria, quæ illi innituntur, concidere nec essariū est.

Quemadmodum illa etiā quæ *Capite Quinto*, de Cometæ à Terra distantia ad fert, quam efficit Semidiametrorum Terræ  $8\frac{1}{2}$ , et si iuxta Parallaxium præsuppositam quantitatem non inconuenienter inferantur (nisi quòd è proportione lineæ A B ad C D è Posteriori Observatione iuxta præmissam Figuram colligatur hæc remotio paululum arctior, vt pote Semidiametrorum  $8\frac{1}{2}$ , de quo rāmen parùm interest) nihilominus omnia corruere, & errori manifesto obnoxia else deprehenduntur, siquidem Parallaxi adeò fallaci superstructa sint. Nec mirūm est, Nolthium Cometam hunc vix nouem Semidiametris à Terræ centro remouisse, cum antedictam Nouam Stellam Anni 72, ab altissima Octaua Sphæra, in qua reuerà consistebat, in sublunarem regionem, vix in distantia 20 Semidiametrorum, vel contra ipsum oculorum sensum, detrahere non dubitauerit. O Instrumenta! O Observatores! ubi Oculi? ubi Intelligentia, & sedula Veritatis enucleatio?

Taceo nunc, quòd vapores nulli tam altè descendant, vt distantiam à Terra maiorem 7700 Miliaribus (quantam ille Cometæ attribuit) adæquent, velut hæc in Opticis per crepuscula Demonstrantur, de quibus etiam anteà, dum Sculteti Scriptum